

## P R A E F A T I O

ut fugam potius urgeamus sectarum, & illorum  
omnium qui neglecto dicto fine & nucleo  
præcepti omnis, & rectissimâ veritatis ac  
simplicitatis divinæ lineâ, particularibus suis  
opinionibus catholicam Dei ecclesiam, ad-  
ditione aut negatione temeraria in factiones  
scindunt: utque intrepidi & leduli interim  
in ædificatione fraternâ & parrhesiâ qua-  
dam etiam erga non scindentes, incumba-  
mus seridò in illud studium quod commen-  
dat Paulus, Phil. 4. 8. 9. Quaecunque sunt vera, que-  
cunque pudica, quaecunque justa, quaecunque sancta,  
quaecunque amabilia, quaecunque bonæ famæ: si qua  
virtus, si qua laus, hæc cogitate: (Quæ & dididistis, &  
accepistis, & audistis, & vidistis in me;) hæc agite: &  
Deus pacis erit vobiscum.

9. Deinde servire debet eadem veritas,  
ad cavendum & vitandum falsum quendam  
Judaismum; reverâ Donatismum: ne quid cum  
judicandi & damnandi temeritate fiat; quasi no-  
bis tantum donatum sit nôsse mysteria salutis  
necessaria, aliis non sit donatum; licet tene-  
ant nobiscum communem & notissimum  
omnibus doctrinæ omnis finem, & neque  
scripturæ sacræ, neque interpretationi seu con-  
fessionis catholicæ, scientes volentesque  
contradicant; hoc est, iis sensibus quos ab ec-  
clesiâ catholicâ, primorum imprimis minimeq; su-  
spectorum seculorum, nullo certò pio contradi-  
cente, agnitos fuisse constet. Hoc enim  
fit ex morbo illo, de quo porrò Apostolus in  
ep: